



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Ducitur Londinum & torquetur, num. 39.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1595.

(hoc est, Verbum Christi per Sanctam obedientiam) non me hinc mouebo, sed vsque dicam, *Ecce me, fiat voluntas tua*. Gratias reddo Iesu Christo Domino nostro, à cuius liberalissima manu multo quàm promereor amplius cōsolationis accipio; neque me animus deficit, neque fiducia in grandi hoc Saluatore in quo omnia possum; Et quia iussu Præsidis quina mihi papyri folia data sunt, quibus fidei meæ argumenta inscribam, in his iam breuior sum, atque deinceps tecum & cum alijs futurus sum. Si vixero, scribam volente Deo iterum de omnibus; sin moriendum sit, supplebit Deus omnia melius: Ego autem ero in pace: *Iesus sit tecum*: Oremus pro inuicem.

Ducitur
Londinum
& torque-
tur.

XXXIX. Lucubrationibus hæc, & frequente cum Ministris congressu, accedebat indies *Henrico* apud plerisque auctoritas, & prudentiæ, doctrinæ, innocentia existimatio, quam Topliffus & Præses vt extinguerent, nouis cum fatigare, & inuoluere interrogationibus occuparunt. At cum se operam perdede conspicerent, Londinum accersiri curarunt. Debeatur nimirum *Henrico* constantia experiunda fortius certamen, quod ab ipso itineris exordio ingressus est: Datâ enim curâ Topliffio sanctum hominem deducendi, is pro ingenio suo barbaro & crudeli, toto octogenum milliarium itinere non alio tractauit ritu quàm si fuisset de prodicione, læsæque Majestatis crimine conuictus; testesque subornauit qui necem Reginae eo auctore paratam fuisse dictitarent: Qui astus tam sæpe in Sacerdotes tentatus est, vt ipsâ suâ frequentia viluerit, & inter accusationis in *Henricum* capita illud recensere sint veriti. Londinum vt appulit, in Arcem coniectus est, tanta rerum omnium cum penuria, vt neque stratum, neque integumentum, neque quidquam ad arcendum frigus asperimum daretur (erat enim mensis Februarius) neque ad famem leniendam cibus; quæ exaggerata inclementia Præfectum Arcis miseratione commouit vt straminis pauillum ad nocturnæ quietis fomentum iuberet inferri, & conquistos *Henrici* necessarios monuerit miserandæ conditionis; At tanta fuit Topliffi atrocitas vt non solum viam omnem intercluserit succurendi, sed quaterdecies acerbissimè tortum sibi ipsi reddiderit inutilem. Quoniam verò sicut totus orbis sapienti patria est, ita omnis locus animo Religioso cælum est, quo potuit vel carbonis vel calcis stylo *Henricus* descripsit in pariete confestim nomina nouem ordinum Angelorum; & supernè nomina Sacratissima *Iesu* & *Mariæ*, in supremo vero loco nomen Dei, literis Græcis, Latinis, & Hebræis; sub quibus omnibus suum addens, & quid sibi ijs in latebris agendum esset, & pro quo patiendum indicauit. In his vero abiit annus integer, cum qui Reginae erant à consilijs pertæsi decreti quo *Henricum* ad se vocarant, vnde nihil præter eius gloriam & existimationem, suam vero ipsorum confusionem collegissent, amandandum rursus Eboracum censuero, vt in quo causam necis nullam reperissent, si ab alijs necaretur, in medio ipsis esset. Quò verò ad metam propius, eò ad patiendum constantius se admouebat *Henricus*, neque voluntate sua remittendum quidquam censuit de vitæ asperitate quam aduersariorum atrocitas ei imposuerat dum Londini teneretur. Itinere toto ad somnum humi procubuit, &

Remittitur
Eboracum
& damna-
tur.